

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## **Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.**

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Canone Fidei

**Chamier, Daniel**

**Frankfurt, 1627**

Liber quartus

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-907)



LIBER QVARTVS. DE CANONE.

CAP. I.

De Differentia Canoniorum & Apocryphorum.



Via Religionis Christianae mysteria, prorsus pendent a reuclatione diuina, & nullo modo ab humana industria, quantacumque illa aut sit, aut esse possit: cum ab Veritate super-naturalem nulla pertingere queat aut experientia: aut ratiocinatio, ex quib. principiis manare necesse est, quicquid homo suis acquirit virib. Et rursus quia illa omnia mysteria...

II. Quia in hoc Canone continentur libri trito nomine iam olim a Patribus indeque ad nos deriuata consuetudine, Canonici sunt appellati. Vt natura sic nomine distincti ab omnibus aliis libris, quicunq; tandem sint: non tantum qui de reb. prophanis, atq; ad religionem non spectantibus scripti: sed etiam qui ad pietatem pertinent. Neque enim oportuit in infinitum canonem excrecere: non tantum vt ne oneraretur Ecclesia: sed etiam vt ne incertus numerus confusio...

III. Illi sic describi possunt, vt sint ij, qui cum certo sint ab auctore Spiritu Sancto autoritatis sunt... Veritasque: arumque: siue possit extra omnem iudiciorum aleam: cui subijci oportet omnem pium intellectum, vt loquitur Aug. deniq; quorum doctrina, nostra fidei regulam figit. In Apocryphi erunt illi: qui cum sint ab humano ingenio profecti, quod falli, decipi errare sapissime contingit, non tantum in summis illis aeternisq; ac naturam excedentibus mysteriis, sed etiam in humanis atq; quotidianis negotiis: nihil per se certum habent: proinde possunt & debent examinari iudicarique ab Ecclesia. Ecclesiam a. cum dico: non doctores, siue potius pastores intelligo tantum, et si horum quidem ea sunt maxime partes: sed etiam singulos si deles: cum singulorum intersit non transferri, agitative quolibet vento.

IV. Athanasius paulo ante dicebat, πῶτα γραφῆς ἡ μὲν χάρις αὐτῶν, θεὸς πνεύματος ἐστὶν Aug. Epist. 8. quae prima est ad Hier. Mihi videtur exitiosissime credi, ali-quod in sancti libri haberi mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scri- ptura ministrata est atq; conscripta, aliquod in suis libris fuisse mentitos. Et Epist. 19. quae citatur a Gratiano dist. 9. Ego solus in Scripturarum libris, qui iam Canoni- ci appellantur, didici hunc timorem honorisq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam: ac si aliquid in eis offendero, quod vi- deatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel in- terpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non am- bigam. Alios a. ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; propolent, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt. Et disertius de Baptismo contra Donatistas lib. 2. c. 3. Quis nescit sanctam Scripturam Cano- nicam tam Veteris quam Noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eamq; om- nibus posterioribus Episcoporum literis ita praeponi, vt de illa omnino dubitari & dis- ceptari non possit, verum verum, vel verum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum a. literas, quae post confirmatum Canonem, vel scriptae sunt vel scribuntur: & per sermonem forte sapientiore cuiuslibet in ea reperitur, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deuiatum est? Et ipsa Con- cilia, quae per singulas regiones vel prouincias sunt, plenariorū Conciliorum au- toritati, quae sunt ex vniuerso orbis Christiano, sine vllis ambagibus, cedere: ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendant, cui aliquo experimento verū aperitur quod clausū erat, & cognoscitur quod latebat? Ex recentioribus Lyranus in plogio de li- bris Canonice, & non Canonice tantum inter vtrosq; distare asserit, quantum in- ter certum, & dubium: Canonicos n. rata esse auctoritatis, quod quicquid ibi co- tinetur, verum tenet firmis & indiscussis: & per consequens illud quod ex hoc con- cluditur manifeste. Na sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota, ita in Scripturis a sanctis doctoribus traditis, veritas co- gnoscitur quantum ad ea quae sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Ca- nonicas, quae sunt habitae diuina reuelatione, qui nullo modo potest subesse falsum.

V. Hinc oritur altera differentia: nempe quod ex Canonice libris solida petitur dogmatum Christianorum confirmatio, ex aliis a. minime. Rufinus in ex- positione symboli post enumeratum Canonem, Haec sunt, inquit, quae Patres in tra Canonem conuenerunt: ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt. Et paulo post de Apocryphis, Quae omnia legi quidem in Ecclesia voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Sicut ante eum Hier. praefatione in Pro- uerbia, legi quidem volebat Apocrypha, ad aedificationem, & leuissimum sed non ad auctori- tatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Itē epistola ad Latam de institu- tione filia: quae numero septima est, Cauet omnia Apocrypha: & si quando ea, non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reuerentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum ritibus praenotantur, & grandis esse prudentia, aurum in luto quare. Lyranus etiā loco citato de Apocryphis, Eorum auctoritas ad probandum ea quae veniunt in dubium, aut in contentionem, & ad confirmandam Ecclesiasticorum dogmatum veritatem, non putatur idonea.

VI. Atq; inde ratio duci solet nominis. Sunt n. appellati libri Canonici, quia ex illis petenda esset regula, & norma fidei Christianae. Chrysol. post ad Cor. hom. 13. πῶτα αὐτῶν ἡ μὲν χάρις αὐτῶν, θεὸς πνεύματος ἐστὶν Aug. Epist. 8. quae prima est ad Hier. Mihi videtur exitiosissime credi, ali-quod in sancti libri haberi mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scri- ptura ministrata est atq; conscripta, aliquod in suis libris fuisse mentitos. Et Epist. 19. quae citatur a Gratiano dist. 9. Ego solus in Scripturarum libris, qui iam Canoni- ci appellantur, didici hunc timorem honorisq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam: ac si aliquid in eis offendero, quod vi- deatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel in- terpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non am- bigam. Alios a. ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; propolent, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt. Et disertius de Baptismo contra Donatistas lib. 2. c. 3. Quis nescit sanctam Scripturam Cano- nicam tam Veteris quam Noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eamq; om- nibus posterioribus Episcoporum literis ita praeponi, vt de illa omnino dubitari & dis- ceptari non possit, verum verum, vel verum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum a. literas, quae post confirmatum Canonem, vel scriptae sunt vel scribuntur: & per sermonem forte sapientiore cuiuslibet in ea reperitur, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deuiatum est? Et ipsa Con- cilia, quae per singulas regiones vel prouincias sunt, plenariorū Conciliorum au- toritati, quae sunt ex vniuerso orbis Christiano, sine vllis ambagibus, cedere: ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendant, cui aliquo experimento verū aperitur quod clausū erat, & cognoscitur quod latebat? Ex recentioribus Lyranus in plogio de li- bris Canonice, & non Canonice tantum inter vtrosq; distare asserit, quantum in- ter certum, & dubium: Canonicos n. rata esse auctoritatis, quod quicquid ibi co- tinetur, verum tenet firmis & indiscussis: & per consequens illud quod ex hoc con- cluditur manifeste. Na sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota, ita in Scripturis a sanctis doctoribus traditis, veritas co- gnoscitur quantum ad ea quae sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Ca- nonicas, quae sunt habitae diuina reuelatione, qui nullo modo potest subesse falsum.

quibus, & deus vobis in vniuerso: quibus verbis eos increpat, qui cum in renū maria tam sint solliciti, vt nisi & numeros ipsi videant & calculos constare: nemini credant: in reb. tamen grauioribus hoc est vitae officium, tam sunt supi- ni, vt simpliciter se huc illuc trahi patiantur aliorum sententiis, hoc ipso sine dubio nunquam excusandos, quod praestolite epactissima rerum omnium trutinā, & amulsi, & regula, nape diuinarum legum sententia. Aug. de Baptismo contra Donat. lib. 2. c. 6. Afferamus diuinas stateras de Scripturis sanctis. Et de Bono viduitatis c. 1. Scriptura sancta doctrina nostra regulam figit. Thomas Aquinas in 1. ad Cor. c. 6. lect. 1. Doctrina Apostolorum & Prophetarum dicitur Canonica, quia est regula intellectus nostri, & ideo nullus aliter docere debet. Deniq; Andradius Iesuita defensionis Tridentinae lib. 3. Minime mihi displicet eorum sententia, qui Canonicos ideo appellari dicunt, quia pietatis fidei, & religio- nis canonem, hoc est, regulam atq; normam de caelis summo Dei beneficio ad nos de- latam continent amplissimam.

VII. Apocryphi vero cur dicti, non omnium est vna sententia, etsi ab oc- cultando nomen manifeste deductū sit Pauci ita censent appellatos, quae eorum autorum essent, quorum nomina ignorantur. Sic Glossator Decreti ad caput Canonum dist. 16. Apocrypha interpretatur sine certo auctore. Quae ratio- nem Andradius ineptissimam vocat: nec immerito. Na inter Canonicos sunt etiam nonnulli, quorum autor (si autorem intelligas scriptorem) aut prorsus ignoratur, vt Iudicū, & Ruth, aut incertus est, vt Iob: quem librū Moysi quidam tribuunt. Alij ita dictos malunt, quia publice non legentur, sed tantum priuatim & secrete. Ita Viues ad 15. c. 15. de Ciuitate Dei, Erant, inquit, ea scripta quibus publice Ecclesia non utebatur: sed priuatim habebat, legebatq; qui vel- let. Cui sententiae Andradius accedit: Multo sane rectius mihi videntur sentire, qui ad vocabuli vim atq; naturā respicientes apocryphos putant, hoc est, abscondi- tos, & occultos eos appellari, quia palam & in publicis eos Ecclesia conuenit, per- legere, aut ex illis argumenta ad dogmata confirmanda assumere minime licebat. Et sane verius illius hanc sententia: fortasse etiam certa, si ad initium respicias. Sed tamen certum est tandem etiam non Canonica quaedam fuisse publice lecta: vt constat ex Canone Concilij Carthaginensis tertij 47. & aliunde. Ipsi- dorus Originū lib. 6. c. 2. Apocrypha dicta, id est, secreta, quia in dubiū veniunt. Est n. eorum occultus origo, nec patet Patribus ex quibus vsq; ad nos auctoritas vera: cum scripturam certissima & notissima successione peruenit. In iis Apocryphis etsi inueniuntur aliqua veritas, tamē propter multa falsa, nulla est in eis canonica auctoritas: quae recte a prudentibus iudicantur non esse eorum credenda, quibus adscribuntur. Na multa & vetera (sic n. lego) sub nomine Prophetarū, & recentiora sub nominibus Apostolorū proferuntur, quae omnia sub nomine Apocryphorum ab auctoritate Ca- nonica diligenti examine remota sunt. Quam rationem mutauit Isidorus ab Augustino ex 11. de ciuitate Dei c. 23.

VIII. In Canonice alio nomine Ecclesiasticos appellat Leontius libro de sectis act. 2. Sixtus Senensis Bibl. lib. 1. sed & post eum nostris Vvhitakerus in disp. de Sacra Scriptura, q. 1. c. 2. testatur a nonnullis appellari ἁγία γραφή. Eos tamē auctores neq; ego videre memini, neq; illi nominari: E. v. d. n. appellauit Origenes apud Eusebium historiae lib. 6. c. 19. ex dist. Chri- stophoroni: Et ipse Euseb. libro 3. c. 3. Cuius nominis eam esse rationem o- pinor, quod ij libri efficiunt vtrumque testamentum, (ἁγία γραφή) Graeci vo- cant) verus scilicet & nouum.

IV. Apocryphorum a. non vnum genus esse videtur, quantum colligi potest ex antiquorum loquendi ratione. Alterum eorum, qui vtilis quidem esse, & pie ca- gi poterant, quauis non essent authentici: de quibus Hier. praefatione in libros Salomonis. Legat eos Ecclesia ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesia- sticorum dogmatum confirmandam. Cuiusmodi esse possunt omnes a pijs viris, pio zelo cōquisiti quorum infinitus est numerus. Alterum a. qui impij essent & cō- tra fidē: de quibus Gelafius loquebatur in decreto, quod est apud Gratianum, dist. 15. qui cū priore loco multos enumerasset auctores probatos extra nu- merū Prophetarū & Apostolorū: Quibus, (inquit) & pauca quae ad memoriā ve- nerūt, & Catholicis vitanda sunt, decreuimus esse subdēda. Tum in iis numerā- dis Apocryphorum saepe nomē vsurpat, Exēpli gratia, Euangelia Thoma, Apo- stoli, quibus Manichaei vtuntur, apocrypha. Euangelia quae falsauit Lucianus, apocry- pha. Libri omnes, quos fecit Lenti: ius disipulus diaboli, apocryphi. Liber qui appel- latur Fundamentum, apocryphus.

X. At Rufinus, haec duo Apocryphorum genera videtur etiam nominibus vo- luisse discernere, na post enumeratos Canonicos, Sciendū tamen est, (inquit) quod & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici a maioribus appellati sunt. Et post pauca, Quae omnia legi quidem in Ecclesia voluerūt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras vero apocryphas nominauerunt, quas in Ecclesia legi noluerūt. Ita triplicem iam habemus librorū ordinē: t. a. j. sint Canonici, alij Ecclesiastici, alij apocryphi: ita distincti, vt primi confirmet fidei dogmata; reliqui non itē: primi & secūdi legantur in Ecclesia, tertij minime. Quae distinctio vtilis est sine dubio: mihiq; valde placet. Certe n. non debue- runt omnes ij libri, qui non sunt authentici, siue ἁγία γραφή, vno quasi fascicū in- inuolui, vt confundatur qui a viris pijs, Catholicisq; cōscripti sunt, et si non Prophetis aut Apostolis, cū iis qui nobis ex officina Satanæ prodierūt. Letus est tamen verborū dissensio, vbi res ipsa constat: neq; n. vnquam crediderim vel Hieronymum non plures fecisse Sapiētiam, siue Ecclesiasticam, quae haeretici cuiusuis deliria: et si vtraq; apo- cryphorum nomine cōtineat: vel Gelafium quauis Ec- clesiasticam, Athanasij, Naziazeni, Basilij, Hilarij, Augustini libros (na hos om- nes nominat) libris Moysi, Salomonis, Pauli, & Petri: quantumlibet omnes cōstituat extra catalogū Apocryphorum. Diuidatur ergo, si placet, libri in Ca- nonicos & non Canonicos: Non Canonici a. in Ecclesiasticos, & Apocryphos. Etsi Ecclesiasticos Leontius nominauit pro Canonice. Sed nos Apocrypho- rum nomine generalius vtetur, quando ita iam pridem vsus obtinuit: vt non Canonice sic appellentur.

CAP. II.

De numero librorum Canonice status quaestione.

Sed his omnibus se puriori antiquitate non inutiliter ad futuram dis- spurationem repetitis: iam ad rem propius accedendum; inuestigan-



dumque controuersie nodum, siue, vt loquuntur, quæstionis statum constituendum. Nos igitur libros Canonicos sic numeramus. In Veteri Testamento duos & viginti. Mosis quinque Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuter, tum Iosue, Iudicum, quib. additur Ruth: Samuelis duos, Regum duos, Chronicon siue Paralipomenon duos: Esdræ, cū Nehemia, Estheram: deinceps Iobum, Psalmos, & Solomonis Prouerbia, Ecclesiastē, Canticum Canticorum. Deniq; Prophetas: maiores 4. Esaiam, Ieremiā, Ezechielem, Danielem. Minores duodecim vno volumine: quorum hæc sunt nomina: Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuk, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias. Hi sunt omnes Canonici, qui ad vetus Testamentum pertinent: quorum varias distributiones Sixtus Senensis enumerat lib. 1. Bibliothecæ.

II. Noui Testamenti libros numeramus omnino 27. Historicos 5. nimirum Euangeliū secundum Mattheum, Marcum, Lucam, & Ioannem, atq; Actus Apostolorum à Luca descripti: Inde quatuordecim epistolæ Pauli: ad Romanos, ad Corinth. prior & posterior, ad Gal. ad Ephes. ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonic. prior & posterior, ad Timotheum prior & posterior, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Tum septem Catholica vulgo nuncupata, Iacobi, Petri prior & posterior, Ioannis prima, secunda, tertia, Iudæ. Denique Ioannis Apocalypsis. Hos in vtroque Testamento agnoscimus Canonicos, nec plures, nec pauciores.

III. Apocryphos: siue potius non Canonicos, nominamus in Veteri Testamento, hos siue libros, siue partes librorum: Esdræ tertium & quartum, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruc, Supplementa Esther, Canticum trium puerorum, historiam Susannæ, historiam Belis, & Draconis, Orationem Manassæ: Maccabæorum siue duos, siue tres, siue quatuor. In Nouo Testamento, Pastorem Hermetis, Epistolam ad Laodicenos: & siqui sunt alij. Atque hæc nostra est sententia.

IV. Papiſtæ suam luculenter exposuerunt in Concilio Tridentino, sessione 4. Nam cum constituerent omnes libros tam Veteris quam Noui Testamenti, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipiendos, tum enumerationem hanc proposuerunt, *Indicem* (inquiunt) *huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti Veteris, quinq; Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esdræ: Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabole, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Sapientia, Ecclesiasticus, Iesaias, Ieremias, cum Baruc, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Maccabæorum, primus & secundus. Testamenti Noui, quatuor Euangelia secundum Mattheum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duas ad Thessalonicenses, duas ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duas, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis a libris istis integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in Veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Haec tenus Tridentini.

V. Ex harum sententiarum collatione facile apparet quis sit controuersie nodus. Primum, qui à nobis inter Canonicos numerantur, tam in Veteri quam in Nouo Testamento, omnes accipiuntur, etiam ab Aduersariis pro Canonicis absq; vlla exceptione. Secundo, in Nouo Testamento, quicumque ab Aduersariis Canonici nuncupantur, iidem etiam à nobis. Tertio, in Apocryphis illi relinquuntur iidem vt nos, tertium & quartum Esdræ: Orationem Manassæ: & Maccabæorum tertium ac quartum. Atque hæc tenus illi nobis consentiunt.

VI. Sed in Veteri Testamento: primo ab illis integri libri annumerantur Canonici: quib. locum nos assignauimus inter Apocryphos, siue non Canonicos, hi sunt Tobias, Iudith, Baruc, Sapientia, Ecclesiasticus: & Maccabæorum primus & secundus. Secundo: quod illi ad finem Canonis de integris loquuntur & partibus, hunc habet sensum, vt in Canonem admittantur Supplementa Esther: tanquam pars ipsius libri genuina: item, Canticum trium puerorum, historia Susannæ, & Belis ac Draconis, tanquam partes Danielis.

VII. Is ergo est primæ huius controuersie status: de qua apud aduersarios quos quidem viderim disputant, Sixtus Senensis Bibliothecæ Sæctæ lib. 8. hæc ref. 11. & 12. Io. Driedo professor Lou. lib. 1. de Ecclesiasticis Scripturis: Melchior Canus Episc. Canariensis, loc. Theol. lib. 2. c. 9. 10. 11. Diegus Paya. Andradius in defensione Tridentinæ fidei lib. 3. Rob. Bellarm. Cardin. Iesuita, 1. Controu. lib. 1. Et Gregorius Bellarmus Apologia. Alph. de Castro Zamorensis contra hæres. lib. 1. c. 2. Durzus Iesuita lib. 1. aduersus Vitakerum: & Io. Hayus lib. 1. disp. aduersus ministrum anonymum. Guilhelmus Bailius in Catechismo controu. tract. 1. q. 13. 14.

VIII. Contra Papiſtas vero Martinus Chénicius parte 1. Examinis Concilij Tridentini: Guilhelmus Vitakerus de Scriptura Sacra, qu. 7. Egidius Hurnius ad 1. controuersiam Bellarmini: sed & Franc. Iunius, ac Danæus ad eandem, Io. Rainoldus prolixissime in Censura librorum Apocryphorum Iacob. Kimedontius de scripto Dei verbo, lib. 1. Io. Urbanus Hartemensis de verbo Dei scripto & non scripto, lib. 2. Sibrandus Lubbertus de principiis Christianorum dogmatum lib. 1. Andreas Riuetus in summa Controuersiarum tract. 1. qu. 14.

## CAP. III.

## An libros controuersos Ecclesia pro Canonicis agnouerit.

**P**rimum Argumentum Papiſtarum, est ab autoritate totius Ecclesie. Andradius, *Vt omnium Ecclesiarum, que per vniuersum orbem longe lateq; dispersæ sunt, consensus, Tridentinamq; Synodum, & Florentinam omittat, quæ antiquitatis sunt vestigia summa diligentia persecuta: Veteres certe id Ecclesie ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus, continuata quadam, & nunquam interrupta serie nobis tradiderunt.* Argumentum instituitur in hunc modum: Omnes libri, quos Ecclesia semper habuit pro Canonicis, ij sunt habendi pro

Canonici. At hos libros, de quibus quæstio nunc est, Ecclesia semper habuit pro Canonicis. Ergo ij sunt habendi pro Canonicis.

II. Probatum assumptio: primo ex consensu omnium Ecclesiarum, quæ per vniuersum orbem longe lateq; dispersæ sunt. Secundo, quia Concilia Tridentinum & Florentinum, sic statuerunt. Tertio, quia veteres Ecclesie ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus continuata, & nunquam interrupta serie, sic tradiderunt. Atque hoc tertium caput probatur ex Carthaginensi Synodo, cui diuus August. interfuit, quæq; fuit in sexta Synodo generali cōprobata. Ex sanctissimo Innocentio primo Pontifice Romano, qui dignitate, eruditione, atque pietate mirum in modum floruit, Augustini Hieronymiq; expresserunt librorum sacrorum cum Tridentina Synodo: sed etiam affirmarunt, eum numerum communi omnium Patrum consensu Ecclesie fuisse cōmendatum. Item ex Gelasio: in Synodo septuaginta Episcoporum. Ex Augustino, qui 2. lib. de Doctrina Christiana, ex veterum & Apostolicarum Ecclesiarum opinione, eadem quæ Carthaginensis Synodus, sacra volumina recensuit. His Bellarm. addit Isidorum lib. 6. Etymol. c. 1. Cassiodorum lib. 1. diuin. lect. Rabanum lib. 2. de Institutione clericorum.

III. Respondeo ad Syllogismum, Concedi maiorem. Nam qui libri semper ab vniuersa Ecclesia habiti sunt pro Canonicis, eos oportet ab ipsis etiam Apostolis esse pro talibus approbatos. Eorum a iudicio absit, vt quisquæ se Catholicus opponat. Sed minor est protus falsa: neque asseri potest, aut concedi, nisi ab iis quibus profus incognita est, illa ipsa series Ecclesie. Si, esset vera, nulla possent in contrariam partem testimonia proferri. At profertur, vt proximo libro manifestum fiet, & grauiſſima, & plurima: imo vtroutra, quam pro se Papiſtæ colligere possunt. Itaq; concludimus non esse illos pro Canonicis aut olim habitos ab vniuersa Ecclesia: aut nunc habendos, ab iis qui se Catholicos dici volunt.

IV. Primam confirmationem minoris: respondeo esse falsam. Nam hodie solos Romanenses ita credere: qui blandiuntur quidem sibi hac vana opinione, se totum orbem occupare: sed id persuadentis duntaxat: qui de toto orbe nihil norunt præter suum agellum. Re vera n. concluduntur angustissimo orbis angulo, atque eo etiam non toto. Omnes a Ecclesie, quæ a Papatu discesserunt, alias aliis puriores, in hoc capite à Papiſtis dissentire, nemo nescit. Quæ etiam apud ipsos Papiſtas, ante nouissimum illud Tridentinum Concilium, non paucissimo longe maior pars, hos eisdem libros, negabat esse Canonicos: atq; in iis Lyranus, Petrus Cluniacensis, Richardus à S. Victore, Glossator decretorum Gratiani, Thomas de Vio, & alij.

V. De Autoritate Conciliorum Florentini, Tridentiniq; respondeo, primo, vtrumq; à nobis oppugnari, ac proinde, cum nobis ea pro argumēto obijciuntur: nihil aliud quam principium peti. Secundo, vtrumq; fuisse particulare: neutrum Oecumenicum: itaq; non posse vniuersalis Ecclesie sententiam testari. Tridentinum ex solis Occidentalibus compositum: ac ne iis quidem omnibus. Nam Ecclesie Gallicanæ nondum approbarunt. Quin etiam huic ipsi sessioni quartæ, qua hoc decretum factum est, interfuerunt duntaxat, præter quatuor præsides, tresq; legatos Imperatoris, Cardinalis vnus, Archiepiscopi nouem, Episcopi quadraginta nouem; procuratores duo; Abbates duo: Generales tres. Summa est septuaginta trium capitum: quo tam paruo numero nulla constituitur vnquam Oecumenica Synodus. Imo multæ particulares pluribus. Ad hæc erant omnes, paucissimis exceptis, Itali, aut Hispani: non ergo ex toto orbe Christiano.

VI. Florentinam Synodum, Basileensium non probauit. Quomodo ergo dicatur Oecumenica, quum eodem tempore alia celebraretur, ab ea dissentiens? Imo vero nego fuisse legitimam: vt pote conuocatam Eugenij maiſticia vafritiaq; in fraudem Basileensium, quæ Eugenium tractabat pro merito. Etſi Catholicis hæc necessaria non sint, quiſciant nullam Synodum Oecumenicam dici posse, quam solus Romanus Episcopus congregarit. Quid? quod hanc ipsam Florentinam Synodum falso nominant? Nam hæc librorum enumeratio, non est in eius Actibus, aut Decretis: sed in Eugenij Commoſitorio ad Armenos: quod licet publice in Synodo recitatum esse, tamen ita illam contempſit, proque nihilo habuit Eugenius, vt non publico, sed priuato suo nomine conscribi voluerit: Exemplo, & nouo & malo.

VII. Tertia confirmatio est etiam falsa: Non est enim verum, veteres Ecclesie ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus continuata, & nunquam interrupta serie sic tradidisse. Nec probatio est efficax. Si Carthaginensis Synodus, & Innocentius, & Augustin. & Gelasius, & Isidorus, & Cassiodorus, & Rabanus, eundem texerunt catalogum, quem Tridentina Synodus: Ergo Veteres Ecclesie ab ipsis Apostolorum temporibus, non interrupta serie, eos libros pro Canonicis habuerunt. Negatur n. consequentia: multis de causis: quarum quædam generales sunt, quædam particulares.

VIII. Generalium prima. Quia ea series temporum, quæ est à Christo ad nos vsq; in hac testimonia enumeratione, valde est interrupta. Nam Christo ad Carthaginensis Synodi, Innocentij, Augustiniq; tempora, anni sunt circiter quadringenti, qui siue vllis testibus prætermittuntur. Et rursus à Gelasio ad Florentinum Concilium intercesserunt secula nouem integra, ac plus eo. Hæc tamen verò appellant Papiſtæ continuatam seriem, neque vnquam interruptam.

IX. Secunda causa. Ea testimonia sunt omnia particularia: non autem vniuersalis Ecclesie. Nam Innocentius, Gelasius, August. & Isidorus erant Episcopi particularium Ecclesiarum: illi Romæ, tertius Hipponensis, quartus Hispanensis, qui suum singuli iudicium declarare poterant, non sententiam ferre, cui tota obnoxia esset Ecclesia Catholica. Cassiodorus autem & Rabanus, ne Episcopi quidem, sed Abbates, hic Fuldenſis, ille Rauenſis.

X. Quod attinet ad Synodum Carthaginensem illa particularis fuit in Africa. Et quod instant, fuisse approbatam ab vniuersali Synodo in Trullo, non est magni momenti. Primo, quia è Papiſtis nonnulli fidem profus ei derogant. Canus locor. Theolog. libr. 1. c. vlt. ad 6. argumentum. Sed & Albertus Pighius. Nouissime magno conatu prolixoq; Cæsar Baronius Annalium to. 8. ad annum 692. negans à quoquam prudenter dici posse, eam in Spiritu Sancto legitime congregatam. Licet contra defendatur eius autoritas à Francisco Torrenſi libro aduersus Pighiū edito: Et Francisco Iouerio præfatione in eius Concilij sanctiones. Secundo, non sequitur, Probatum est Concilium Carthaginense tertium, à Synodo Trullana Oecumenica: ergo eius Canones vim habent vniuersalium. Ratio est, quia vno & eodem canone



non eadem Trullana Synodus multas alias particulares Synodos confir-  
mat, quæ nihilo magis habuerunt vquam auctoritatem generalem. Quod  
Synodos dico: Imo confirmavit etiam quorundam doctorum, quos vocat  
Canones, Dionysij, Petri, Athanasij, Alexandrinorum: Gregori Neocæsa-  
lensis: Basilij Cæsariensis, Gregorij Nylleni, atque aliorum: quorum ta-  
men auctoritas nulla est alia, quam quæ solet esse singulorum Episcopo-  
rum. Ad hæc, inter Synodos particulares confirmat etiam Laodicenam, quæ  
hos ipsos libros, de quibus agimus, reliquit extra Canonem, vt suo loco  
fusus dicturi.

XI. Tertia causa: quia proferuntur testimonia diuersa, atque adeo con-  
traria. Primo, seculorum præcedentium, hoc est, quæ ad Christum propius  
accesserunt: secundo, eiusdem quo floruerunt Innocentius, August. & Ge-  
lasius: tertio, subsequenti: quæ prolixè enumerabuntur proximo libro  
ad argumentum quintum. At si contradicant testimoniis quæ pro se aduer-  
sarij proferunt, alia & quidem plura testimonia sine dubio hoc sequitur nõ  
esse aut Synodi Carthaginensis, aut Innocentij, aut Augustini, aut aliorum  
sententiam eandem quæ omnium Ecclesiarum.

XII. Sequuntur causæ particulares, in consideratione ipsorum testimo-  
niorum. Innocentius eius nominis primus Episcopus Romanus: primo tes-  
tatur eius epistole in initio se priuatum sententiam dicere, quem admodum  
quibus interrogatus solet, non ex tripode oracula dictare, sed ex proprio in-  
genio quid sibi potissimum videatur expromere. Sunt ista eius Epistolæ  
prima verba, *Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie vna quæ-  
que sentirem, pro captu intelligentia mea, quæ sunt visa respondere, quid sequen-  
dum, vel quid vitandum docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis osten-  
deret, vel custodia series temporum demonstraret.* Et paulo post: *Mihi quoque, ipsi  
decollatione docilis accedit, dum perscrutatis rationibus, ad proposita responde-  
re compellat: eoque fit, vt semper aliquid addi, cas, qui postulat, vt doceat.* Quæ  
cunque igitur hac tota proponuntur epistola, eius sunt hominis, qui suum  
priuatum & particulare iudicium exprimat, vt intelligamus hanc: ipsam li-  
brorum enumerationem, non ex publica aliqua totius Ecclesiæ auctoritate  
de promptam: sed priuato studio elaboratam. At ipsi Papistæ concedunt Pa-  
pam vt particulare ductorem, & cum non docet ex Cathedra, falli posse.  
Quum igitur hoc loco ipse testetur Innocentius, suum se ferre particula-  
re iudicium, cur putant nobis suspectum esse nõ posse? Deinde, quo sensu  
Canonicos appeller, non explicat, & videtur paulo generalius nomen pro-  
duxisse, vt comprehenderet etiam Ecclesiasticos: quia his opponit eos, qui  
profus damnandi sunt. *Cetera a. inquit, quæ vel sub nomine Martij sive Ia-  
cobi minoris, vel sub nomine Petri & Iohannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt  
vel sub nomine Ananæ, quæ a Nestore & Leonide Philosophis, & sub nomi-  
ne Thomæ, & si quæ sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noueris esse  
damnanda.*

XIII. Gelasij decretum existat, vnde nudum: sola constans enumeratio-  
ne, cui hic titulus præfigitur: *Ordo librorum Veteris Testamenti quem sancta  
& Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa, cū  
septuaginta Episcopis.* Vbi duo notanda sunt. Primum, id iudicium esse vnius  
duntaxat Ecclesiæ, sc. Romanæ: non a. omnium per totum terrarum orbem  
Ecclesiarum: alterum, libros eos non nominatos Canonicos, sed duntaxat  
Veteris Testamenti: possunt a. hi libri, de quib. contendimus, sic appellari:  
quia sic facti sunt vt referri non possint nisi ad V. Testamentum: suscipiuntur  
a. & venerantur, sed tanquam Ecclesiastici, vt loquitur Rufinus: atq; ea-  
renus aliquo modo Canonici, sed non vt vere & proprie Canonici: itaque  
hoc testimonium non vtget causam nostram.

XIV. Augustinus libr. 2. de Doctrina Christiana c. 8. in suam enumera-  
tionem ita præfatur, *Erunt igitur diuinarum scripturarum solertissimum inda-  
gator, qui primo totas legerit, notasq; habuerit: est nondum intellectu, iam ta-  
men lectione, duntaxat eas quæ appellantur Canonice. Nam ceteras securius le-  
get fidei veritatis instructus, ne præoccupent imbecillum animum, & periculosas  
mendacis atque phantasmatis eludentes præiudicent aliquid, contra sanam  
intelligentiam. In Canonis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum, quam  
plurimum auctoritatem sequatur, inter quas sane illa sunt, quæ Apostolicas sedes  
habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scri-  
pturis Canonice, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præ-  
ponat eis quæ quadam non accipiunt. In eis vero quæ non accipiuntur ab omni-  
bus, præponat eas quæ plures grauioribus accipiunt, eis quæ pauciores, minoribusq;  
auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alia inuenierit à pluribus, alia à grauioribus  
haberi: quanquam hoc inuenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habenda  
puto. Totus a. Canon Scripturarum in quo istam considerationem versandam  
dicimus, his libris continetur.* Hactenus Augustinus. In quibus verbis tria sunt  
diligenter obseruanda. Primum opponi hos libros ab Augustino Canoni-  
cos appellatos, iis libris qui periculosas mendacis atq; phantasmatis, illu-  
dentes præiudicant contra sanam intelligentiam: vnde patet eum canonicis  
nomine vsu esse laxiori significatione, quæ comprehendat vtrorsq; tam Ca-  
nonicos proprie, quam Ecclesiasticos. Secundum, eos Canonicos non esse  
omnes eiusdem gradus: sed alios alius præferri, esseq; vt ita dicam, magis Ca-  
nonicos. Quod cum decreto Tridentino pugnat: cuius hæc diserta sunt  
verba, *Sanctæ Synodus Orthodoxorum Patrum exempla sequuta, omnes libros qd  
veteris quam noui Testamenti, vtriusq; vnus Deus sit autor, nec non traditio-  
nes ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chri-  
sto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica  
conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit & veneratur.* Et quia  
Aug. eos, quos Canonicos vocat, sic distinguit, vt qui eis vitatur; debeat a-  
lios alius præferri: Concilij a. Tridentini. suos velit pari reuerentia suscipi:  
profecto fieri non potest, vt eodem sensu Canonice Aug. nominauerit, cum  
Concilio. Tertium, Aug. in suo Canone eos libros comprehendit non tantum  
qui ab omnib. Ecclesiis recipiuntur, sed etiã eos qui a nonnullis: imo vero  
nõ illos solum qui à pluribus, sed eos etiam qui à paucioribus. Quare Canoni-  
cos etiam hic appellauit, quos Christianitatis pars maior à Canone expun-  
gebat: quod de vere Canonice quam inepte dicatur quis non videt?

XV. Bellarm. ad has obiectiones respondet miro verborum inuolucro,  
vt vix quid sibi velit intelligas, Augustinum fuisse certissimè omnes libros Ca-  
nonicos esse infallibilis veritatis: sed non fuisse æq; certum de omnib. libris quos enu-  
merauerat, an essent Canonici. Nã et si ita sentiebat, tamen sciebat rem non fuisse  
adhuc à generali Concilio definitam, & propterea potuisse sine labe hæreseos

quosdam libros ab aliis non recipi. Id igitur est quod dicit obseruandum esse in li-  
bris qui dicuntur Canonici, vt ij qui ab omnib. recipiuntur, præponantur iis, qui  
non ab omnib. recipiuntur: quia videlicet de prioribus maior tum erat certitudo,  
quam de posterioribus, quod essent Canonici. Nunc a. quia generalia Concilia, rem  
totam definiuerunt, atque certissimus de auctoritate omnium librorum, nec vnus  
alteri præponere debemus. Hactenus Bellarm. qui inepte hæc eussit, etiam  
propria prodita causa.

XVI. Primum enim, si non fuit Augustini, certus de totius Ecclesiæ iudi-  
cio frustra profertur ab Andradio testis, vt euincat eos libros a Veteribus  
traditos pro Canonicis, serie ab ipsis Apostolis nunquam interrupta. Quin  
etiam luculenter mentitus erit ipse, cum hoc Augustini testimonium eo ma-  
ioris ponderis esse dixit, quod non tam peculiarem ipsius sententiam desi-  
gnet, quàm Ecclesiæ ipsius iudicium & persuasionem cõfirmet. Nam contra  
Bellarm. ipsam Augustinum ita dicit sensisse: quæ verba quid significant,  
si non priuatum sententiam? Secundo, quantum hic quæso pondus esse po-  
terit testimonio in Augustino? Non n. publicum erit Ecclesiæ: cum de eo in-  
certus esset, teste Bellarmino. Si priuatum, quis Augustino id prius concessit,  
vt suo priuato iudicio libros Canonicos efficiat; Tertio, non tantum non  
fuit Aug. certus de Ecclesiæ iudicio; sed ne apud se de ipsis quidem libris,  
vtrum essent Canonici: nam hoc habent diserta Bellarmini verba, nõ fuisse  
atque certum de omnib. Quo iure ergo citatur tanquam certus testis, vt  
rei dubiæ fidem faciat? Nam hic est nodus: non n. disputamus vtrum om-  
nes Canonici sint infallibilis auctoritatis, quod Augustino certum fuisse  
Bellarm. contendit: sed vtrum hi omnes qui a Papistis, imo etiam ab Augu-  
stino numerantur, vere sint Canonici: quod Augustino negat Bellarm. satis  
explorari fuisse. Quarto, si ante Augustinum nulla vniuersalia Concilia hanc  
rem definiuerant: ergo non tantum non potuit August. esse testis iudicij v-  
niuersalis Ecclesiæ: sed ne vllum quidem re vera fuit huiusmodi iudicium.  
Et mentiebatur Andradius, qui veteres Ecclesiæ suum Canonem nobis inde  
vsque ab Apostolis tradidisse asserbar. Quinto: si ideo incertus erat Aug.  
quia nulla præcesserant generalia Concilia, quib. hæc quæstio esset defini-  
ta: ne nos quidem hodie certi esse possumus. Nam ab Augustino a. nos  
vsque nullum omnino factam est eiusmodi iudicium: nam de Carthagi-  
nensi, Trullana, Florentina, Tridentina, iam diximus. Denique quicquid  
sit de vniuersalibus Conciliis; tamen certum est Augustinum credidisse Ca-  
nonem longe ante sua tempora fuisse constitutum ac certo numero libro-  
rum definitum. Contra Cresconium libr. 2. c. 3. quem locum præ ed reci-  
tauimus. *Neg. enim sine causa tam salubri vigilantiâ Canon Ecclesiasticus con-  
stitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos o-  
mnino iudicare non audeamus.*

XVII. Ex quib. verbis rursus obseruo. Primum iam olim ante Augustinum  
fuisse Canonem constitutum: non habuisse igitur causam Augustinum du-  
bitandi de libris vere Canonice: hos itaque non fuisse vere Canonicos,  
quando quidem deus nondum certus erat. Secundum, eos qui ab Augustino  
credebantur pertinere ad canonem iam constitutum, tantæ apud illum fuisse  
auctoritatis, vt censeret à nemine iudicandos esse. At in hac enumeratione  
esse aliquos, quos censet iudicandos non tantum ab Ecclesiis, sed etiam a  
singulis fidelibus. Ergo necesse est, in hac enumeratione nonnullos libros esse  
additos, qui non pertinerent ad Canonem iam constitutum. Et tamen cer-  
tum est hanc enumerationem ab eo Canonem præcellari: necesse est igitur  
eum vario sensu Canonis vocem vsurpasset: nempe aliquando pro enumera-  
tione librorum quorum est infallibilis auctoritas: alius vero pro enumera-  
tione librorum quorum est infallibilis auctoritas, sit tamen non-  
nulla.

XVIII. Et tamen colligit Bellarm. argumenta, quib. probet, Augustinum  
re vera sensisse, omnes eos libros, quos ibi vocat Canonicos, esse infallibi-  
lis veritatis. Ea tria sunt: Primum ex Concilio Carthaginensi tertio, cui i-  
pse subscripsit. Secundum, quia nullus proferri locus potest, vbi librum ali-  
quem vocet Canonicum & tamè de eius veritate dubitari posse dicat. Ter-  
tium, quia infinita possunt loca proferri, vbi dicit omnes libros, qui cano-  
nici vocantur, esse infallibilis veritatis.

XVIII. Respondeo ad primum, Concilium Carthaginense nihil habere  
de infallibili veritate: sed nude libros enumerare, qui Canonice, siue  
diuinarum Scripturarum nomine significari possent: quib. iidem nomi-  
bus hoc loco vitur August. propterea nihil adfertur inde luminis ad hæc  
verba de quib. nunc contendimus. Ad secundum etiam si nullus alius pro-  
ferri locus posset præter hunc quem habemus præ manibus, tamen senten-  
tiam esse manifestam, & certissimam argumentis confirmatam, quæ negari  
non possunt, aut impugnari.

XIX. Ad tertium: fateor multos proferri locos posse quib. Canonicos si-  
gnificari Aug. esse auctoritatis infallibilis: sed ij loci nulli pertinent ad hæc  
enumerationem, agunt non omnes de libris, qui ab omnib. Ecclesiis admit-  
tebantur, erantque vere & proprie Canonice: quod ex ipsis locis videre li-  
cet. Nam in epistolis ad Hieron. sciunt omnes quæri de Epistola ad Galat.  
epist. 48. de iis Scripturis vnde multa defumebat testimonia: quorum nul-  
la erant ex iis libris qui nunc in dubium vocantur: libr. 2. de Baptismo con-  
tra Donatistas, quem paulo ante citauimus, de iis loquitur libris, quos om-  
nino iudicare non audeamus. Reliquis locis nempe epist. 12. in Pl. 67.  
lib. 2. contra Cresconium, c. 31. libr. 2. contra Faustum c. 3. qui omnes à Bel-  
larmino citantur, nihil est quo indicentur hi omnes libri, quorum enumera-  
tionem nunc excutimus. Quid tũ a. Si alibi Canonicos proprie & strictiori  
significatione nominauit, an sequitur libr. 2. de Doctrina Christiana, non vs-  
surpasse idem nomen latiori sensus ambitu? Nullo modo.

XX. Ad indicandum a. Augustini mentem duplici vtat adhuc argumẽto.  
Primum est, quia Apocryphos Aug. appellat eos, qui sunt impij, & ab im-  
pijs editi, Apostolorum nomine præfixo. Contra Faustum, libr. 2. c. 79. *Legit  
Scripturas Apocryphas Manichæi, a nescio quibus furoribus fabularum, sub A-  
postolorum nomine scriptas.* Quæstione super Numeros 42. *In quo libro  
hoc scriptum sit non commemorant, neque vllus est in his quos diuina Scri-  
ptura Canonicos appellamus. De talibus occasiones reperimus, qui libros Apocryphos  
in auctoritatis auribus, & turisorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas  
impietates. Quibus locis alij similes possunt numerari. Ex quibus patet id  
nomen Augustinum ita vsurpasse, vt libros significaret, non eos quibus*



ola deerat auctoritas confirmandorum dogmatum; sed eos qui nocerent fidei, & impietatem docerent, ac hæreticis inferrent: quo facilius eos potuit aliquando inter Canonicos numerare, qui etsi non sint pares Prophetarum & Apostolicis, tamen non sunt impij, imo non inutiles formandis maioribus, ob idque recepti ab Ecclesia. Neque vllum ego sane locum offendi, ubi Augustinus Apocryphorum nomen alio sensu usurpauerit.

XXI. Alterum argumentum ex nonnullis locis, quibus suam de Ecclesiastico, & Maccabæis, quos nunc Canonicos indiget, sententiam sic prodat, ut aperte indicet se varios Canonicorum ordines agnoscere. Nam de Ecclesiastico ita legas in Retractionibus libri 2. capite decimo, *Videor non recte appellasse verba Prophetica, quibus scriptum est, Quid sperabit terra & cinis? Quia non in eius libro legitur, quem certi sumus appellandum esse Prophetam.* Et est tamen is locus ex 30. Ecclesiastici. Quare non furtum tum temporis certus Augustinus de auctoritate Canonica eius libri. Est autem opus Recognitionum longe posterius opere de Doctrina Christiana.

XXII. Maccabæos autem, siue obiciuntur sibi, siue ipse obijciat, exceptione modesta, indicat se non habere pro infallibiliter veris, aut extra omnem aleam. Sic cum Donatistæ Circumcelliones Raziæ exemplo se ipsos tuerentur, & ipse docuisset frustra fieri considerato ipso facto: tandem ipsorum librorum auctoritatem jamolicas, *Et hanc quidem* (inquit) *Scripturam, quæ appellatur Maccabæorum, non habent Iudæi sicut Legem, & Prophetas, & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam suis testibus, dicens, Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me: sed recepta est ab Ecclesia non iniuste, si sobrie legatur: vel audiat: maxime propter illos Maccabæos, qui pro Deo lego, sicut veri martyres à persecutoribus, tam indigna atq; horrenda perpessi sunt.* Rursum libr. 18. de Civitate Dei, cap. 36. *Quorum supplicatio temporum, non in Scripturis sanctis quæ Canonice appellantur: sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atq; mirabiles.* Hæc Augustinus, ex quibus hæc elicienda sunt & notanda. Primum, quod excipiat non esse in Canone Hebræorum: sed tantum receptos ab Ecclesia. Quo quid erat opus si ab Ecclesia Christiana ita reciperentur ut æquanda reliquis? Nam Augustino res erat cum iis hominibus, qui Iudæorum iudicium non magnifacere, quatenus contrarium erat Ecclesiæ iudicio. Itaq; aut ridicula fuit exceptio, aut sensus est, etsi recepti sint ab Ecclesia, non tamen eorum esse auctoritatem tantam, quanta eorum est, quos à Iudæis constat admissos. Secundum: quod non absolute Canonicos dicat; sed pro Canonicis haberi propter quorundam martyrum passiones. Atqui libri vere Canonici, simpliciter sunt Canonici, non *pro*. Quis enim sanus dixerit librum Geneleos haberi pro Canonico propter Arcam Noe, aut Sacrificium Abrahami; Est enim propter omnia etiam minima Canonici. Sed hoc nimirum hoc illud est, quod Hieronymus dicebat, Apocryphos legi posse ad ædificationem plebis, & propter signorum reverentiam. Tertium: quod eos ab Ecclesia receptos dicit non iniuste: quæ quidem laude quid exilius: aut minus dignum libro vere Canonico? Nam idem dicere quilibet possit de Athanasio, Basilij, Augustini scriptis: quos Gelasius admisit in suo decreto: nec enim admisisset omnino, si inutiles existimasset. Quartum: ut iliter receptos dicit, cum exceptione, *si sobrie legantur*: quæ iam non laus erit, sed iniuria magna vere Canonici: siue enim sobrie legantur, siue minus, tamen Canonici sunt, & ab Ecclesia recipi debent. Nam & alij, aut omnes, aut plerique omnes, si non sobrie legantur, posunt non viles esse iis à quibus sic legantur: sed nemo tamen ita ausit de iis loqui. Atque hoc Hayus pueriliter excusat, quod non sit contra historiam certitudinem: quasi hoc iam quaratur, utrum falsa sint quæ de Raziâ narrantur. At ego ea verba dico, & si non sint contra historiam certitudinem, esse tamen contra eorum librorum vere canonicam auctoritatem: Quintum: non tantum negavit esse in Canone Hebræorum: sed etiam ad eos pertinere testimonium Christi, hoc est confirmationem, quam ille suo testimonio contulit Veteri Testamento. Hoc autem cuiusmodi est quæso? Nam quicumq; vere sunt Canonici, ij membra sunt vel Veteris, vel Novi Testamenti. Hos Novi non esse, notunt omnes. Veteris si essent, tum pertinerent vel ad Legem, vel ad Prophetas, vel ad Psalmos: At negat Augustinus. Restat igitur ut ex Augustini iudicio non sint vere Canonici.

XXIII. Hanc huius observationis vim conantur Andradius & Hayus ecludere hoc modo, *August. cum Maccabæorum* (inquit) *Scripturam receptam fuisse ab Ecclesia non iniuste, si sobrie legatur vel audiat, haud quidem celestis auctoritatis expertem illam esse indicavit, sed legib. ac Prophetis in eo inferiori esse duxit, quod Christum minime demonstrat, sed res gestas verissime prudentissimeq; contineat.* At hoc frustra fit. Primum saltem ergo discedendum à Concilio Tridentino: quo sancitur ut omnes libri enumerati pari reverentia suscipiendos contendant. Secundo, manifeste Augustino impingunt, quod ne quidem cogitavit unquam. Augustinus enim non dixit Maccabæos esse inferiores Legem, Prophetas, & Psalmis: sed dixit non haberi sicut Legem, Prophetas, & Psalmos; quod multo latius patet, & significat non tantum esse inferiores, quomodo esse fortasse possunt eiusdem generis libri: sed etiam non esse eiusdem aut generis aut ordinis: id est, non proprie Canonicos. Deinde non dixit Augustinus, non demonstrari ab iis libris Christum: sed dixit, non esse in ea Scriptura, quam Christus suo testimonio commendavit, distributam in tres partes: Legem, Prophetas, & Psalmos. At ex tres partes totum continebant Veteri Testamentum: teste Sixto Senensi lib. 1. Bibl. qui in Septem Canonicorum distributionibus hanc primo loco constituit: *quæ quidem* (ut refert Lucas) *visus est Dominus noster Iesus Christus post resurrectionem suam: cum aperiens discipulis sensum Scripturarum, interpretatus est eis, quæcumq; de ipso scripta erant in Lege, Prophetis, & Psalmis. Iosephus quoq; in primo libro adversus Apionem Grammaticum eandem partitionem sequutus est.* Vix igitur Augustinus potuit disertius Maccabæis locum assignare extra numerum eorum librorum, qui in Veteri Testamento habentur pro vere Catholicis.

XXIV. Et sane ratio sic contra Augustini mentem confecta, est ineptissima: nam si propterea Maccabæorum libri erant inferiores reliquis, quia Christum minime demonstrant: necesse est omnes qui Christum minime

demonstrant, esse reliquis inferiores. At hoc falsum est: nam libri Iudicum, Ester, Ruth, quod sciam, non magis Christum demonstrant, quam Maccabæi. Et tamen non est eorum ordo inferior. Denique hoc iterum mendacissime subiunxit Andradius Augustinum, ceterosq; maiores, Maccabæorum libris non minorem fidem semper habuisse, quam Regum, Paralipomenon historiarum, & pari omnia auctoritate valere existimasse. Nam contra mentem non constat ex his locis Augustini iam citatis: quia in Prophetis qui à Christo nominantur, & in quorum ordine negat Augustinus Maccabæos haberi, erant Iudicum, Regum, Paralipomenon historia. Atque hæc tenus de Augustino.

XXV. Synodus Carthaginensis tertia, nihil habet difficilium. Primum enim videtur non incommode explicanda ex mente Augustini, à quo vix credatur discessisse. Secundo, manifestum est enumerari libros legendos in Ecclesia: legi a nonnullis qui non essent exacte Canonici, satis apparet cum ex Hieronymo, iam sæpius citato, tum ex ipsius huius Canonis fine, quo permittuntur legi etiam Sanctorum legenda. Sed hæc Synodus vocat hos libros (inquit Bellarm.) *non solum Canonicos, sed etiam divinos. Librum a. esse divinum, quid aliud est, quam divinam auctoritatem habere?* Respondeo hæc esse eius Synodi verba, *Item placuit, ut præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur, sub nomine divinarum Scripturarum.*

XXVI. Hic primum observo non directe dici eos libros divinos, sed tantum oblique inde colligi: aliud est enim dicere, nihil legatur sub nomine divinæ Scripturæ, præter eos libros, qui sunt in Canone: aliud a. eos omnes affirmare esse divinos: nam cum posteriore phrasi diserte asseritur qualitas librorum, tum priore, nihil aliud quam prohibetur, ne alij vlii libri hoc nomine censentur. Non est autem consequens, ut si præter eos nulli libri legendi sint sub nomine divinæ scripturæ, ideo omnes qui sunt in Canone sic enumerato, sint reuera scripturæ divinæ. Ut cum Catholici dicunt nihil docendum in Ecclesia pro articulis fidei, nisi quæ scripta sunt in libris Canonici: non tamen significant omnia scripta in libris Canonici esse articulos fidei. Itaq; hæc mens fuit horum Patrum, non tam ut illi omnes quæ auctoritate excipiendi essent, assererent, quam ut anam præcederent alios intrudendi. Secundo, ut Canonici non vno modo nominantur, sic & divini posunt vario sensu nuncupari: nempe quia: vel *græce* sunt, quæ propria est usurpatio: vel de reb. divinis scribuntur: quæ latior est significatio: vel *ἀληθινὰ καὶ ἁγία*, qui comparati alius, magis accedunt ad primum ordinem. Confirmatur hæc consideratio ex c. 22. lib. 15. de Civitate Dei. *Scripturæ quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum in epistola Canonica Iudas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum, qui servatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum.* Ergo quædam divina appellari possunt scripta, quæ tamen non sint in Canone proprie sic dicto. Et quidni nos æque cum Augustino dicamus hæc scripta, de quibus est quæstio, utcumque divina appellentur, non frustra non esse in Canone Hebræorum? Non esse enim omnes sciunt. Itaq; Concilium Carthaginense non valde ijuet hanc causam. Isidorus & recentior est, ac proinde explicandus ex antiquorum auctoritate, & distinguit inter Canonem Iudæum & Christianum, quæ de re agendum erit libro proximo, argumento ultimo, Rabanus etiam longe post Isidorum vixit.

XXVII. Atque ita refutatum est primum argumentum: quod à Duræo paulo aliter concipitur. *Nisi hi libri* (inquit) *quorum Canoniam auctoritatem defendimus, inter Canonicos numerentur, eodem argumento reliquos omnes reijciatis oportet, cum eadem Ecclesia Catholica auctoritate omnes commendat. Sed non est difficilior nodus. Est a syllogismus ita constituendus. Omnes libri, qui eadem Ecclesiæ Catholicæ auctoritate commendantur, pariter vel recipiuntur, vel reijciendi. At omnes hi libri eadem Ecclesiæ auctoritate commendantur. Ergo omnes pariter aut recipiendi aut reijciendi. Et quia recipiuntur Genesis, Exodus, atq; alij: Ergo recipiendi sunt etiam Tobias, Iudith, Baruc, & similes.*

XXVIII. Respondeo Catholicam Ecclesiam nominari, vel quatenus omnes vno tempore populos comprehendit, vel quatenus omnia etiam colligit tempora. Posteriori modo, negatur minor Syllogismi. Certe n. falsum est hos libros quos numeramus in Apocryphis, unquam huiusmodi testimonio commendatos esse. Quin ipsi Papistæ cum huic rei infudant maxime, nullum notate possunt testem antiquiorem Augustino, qui ultra quartum seculum fuit in viuis: Nam Innocentius fuit illi *ὑψιστος*, & Concilium Carthaginense. Quod si priori sensu Duræus magis delectatur, tum negatur utraq; pars antecedentis. Nam neque vilo seculo omnes Ecclesiæ id testimonium perhibuerunt, neq; sit tandem, id est, postremis seculis tripuissent, ideo sequeretur hos libros esse legitime Canonicos. At vero illi quos recipimus, semper sunt ab omni Ecclesia & dicti & habiti Canonici: teste ipso Bellarmino c. 4. qui cum Canonicos distribuisset in duos ordines, atq; in primo nostros enumerasset, in secundo a. reliquos, tum diserte, *Primordialis libros* (inquit) *in Ecclesia Catholica divinam auctoritatem semper habuisse, testes sunt omnes summi Pontifices, omnia Concilia, omnes Patres, qui quacumq; de causa libros enumerare studuerunt.* Quod de aliis nemo audeat asserere. Constat igitur non eadem utrosque auctoritate Ecclesiæ Catholicæ esse commendatos: quare nihil nos peccare si distinguamus.

## CAP. IV.

An omnes libri, ex quibus ducitur probatio, sint Canonici.

I. Argumentum secundum. Omnes libri è quibus ducitur comprobatio factorum mysteriorum, sunt Canonici. At ex his libris ducitur comprobatio factorum mysteriorum: Ergo ij sunt Canonici. Minor probatur ex vltimo Veterum, qui hos libros libenter citantur ad verius hæreticos. Argumentum est Andradij, *Si Sacrorum librorum dignitas & præstantia in Sacrorum mysteriorum comprobatione cernitur, & eo potissimum sacra ab hagiographis distinguuntur illos profecto veteribus libros sacros fuisse fatari necesse est, quos hæreticorum furori opponere, & ad fidei mysteria confirmanda adhibere consueverunt.*

II. Respondeo negari maiore, phurib. de causis. I. causa, quia ne ij quidem libri qui citantur à Prophetis & Apostolis sunt Canonici: teste Augustino q. in Nu. 42. *Neg. negandum est fuisse iam libros siue Chaldaeorum, unde egressus est A-*







II. Melchior Canus urget argumentum ab incommodis, c. 9. lib. 2. loc. Theol. disp. de Baruc. In vigilia Pentecostes nomine Propheta toti populo Christi...

III. Respondeo primum negari maiorem. Non tantum n. legebantur publice Canonici proprie sic appellati: sed etiam nonnulli Apocryphij sc. qui nihil contra fidem continebant. Hier. praefatione in libros Solomonis: Legat Ecclesia ad edificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

IV. Minorem, respondeo, si de Ecclesiis omnib. intelligatur, esse falsam. Fateor quidem in quibusdam Ecclesiis, & aliquando eos libros lectos: sed eum fuisse morem vniuersalem nemo vnquam probabit: ego etiam contra docebo.

V. Et de altarium Ecclesiarum alium morem discere licet ex Concilio Laodicensi, cuius Canon c. 58. cauetur in hunc modum, οὐκ ἔστιν ἰδίω τικῶν ψαλμοὺς ἄλλοθεν καὶ τῆς Ἐκκλησίας, ἢ δὲ ἀπὸ τῆς βιβλίου, ἀλλὰ μόνον τὰς κληρονομίας τῆς κληρονομίας τῆς Δαυὶδ.

VI. Praeterea Athanasius in Synopsi post enumeratos Canonicos, οὐκ ἔστι τῶν παλαιῶν βιβλίων ἕτερα βιβλία, ἢ τὰς αὐτῆς παλαιῶν Δαυὶδ, ἢ κανονικῶν βιβλίων, ἢ τῶν παλαιῶν βιβλίων ἢ τῶν κανονικῶν βιβλίων, ἢ τῶν παλαιῶν βιβλίων ἢ τῶν κανονικῶν βιβλίων.

VII. Non exigitur argumentum Bellarmini necessarium. Ad exaggerationem Cani. non dissimilior est responsio. Quid tum n. si falluntur ij a quib. huiusmodi libri pro Canonicis habentur & leguntur? Quasi vero nunquam quicquam sit in Ecclesia peccator, contra quam oportuit. Atq; vti nam minimum hoc esset omnium, peccatorum quae admittuntur in Ecclesiam: et si n. non potuit non esse perniciosus, tamen facile potuit emendari nisi alia grauiora spem praeciderent.

CAP. VII.

An sint Canonica quaecumq; in Codicibus Graecis sunt.

I. Argumentum quintum proprium est partib. Ester & Danielis. Quicunque Codices Graecos probant, ij partes eorum probant etiam. At veteres tum synodi tum Patres, Graecos Codices Ester & Danielis probant.

bant. Ergo & eorum partes: nempe Supplementa Ester. historiamque Susanna, ac Draconis, & hymnum trium puerorum. Argumentum est apud Bellarminum c. 7. Negari non potest, vetera Concilia, Laodicense & Carthagenense tertium, veteresq; Patres Graeci, necnon Latini, cum inter sacros libros volumine Ester numerant, de eo volumine esse loquutos, quo tum ipsi, tum Ecclesia vniuersa eo tempore utebatur. Vtebatur a. libris sacris iuxta editionem, qua S. Hieron. praefatione in libr. m Ester, & saepe alibi vulgata appellare solet: qua, ut ipse ait, Graecorum lingua & literis continetur, in qua editione septem illa capita, libri Ester, de quib. nunc agitur, non defuerunt. Quare si Concilia, & Patres librum Ester qualem ij si legere consueuerant, in sacrum Canonem retulerunt, certe librum integrum, atq; his septem adiunctis capitib. retulerunt. Et rursus c. 9. Credibile est Concilia vetera, ut Laodicense, & Carthagenense tertium, & praefatos Patres, qui Graeca editione utebantur, cum Daniele in numerum sanctarum Scripturarum retulerunt, de eo libro Danielis esse loquutos, qui in Graecis vulgatis codicibus habebatur: in Graecis autem vulgatis codicibus, ista omnes partes sine dubio habebantur.

II. Respondeo, negatur maior. Primo, quia esset ergo tertius Esdra Canonici: quod tamen nondum voluerunt Papistae. Testatur enim Sixtus Senensis Bibl. lib. 1. Graecos in eo a Latinis disidere, quod hunc tertium Esdra primum faciunt: qui vero apud Latinos ordine sunt primus & secundus, ex iis secundum conficere. Quod si hic fallit maior, quae certior ratio reddi potest, ut non fallat in aliis? Et sane a non distributo ad distributum non est satis sana conclusio: ut si quis similiter argueret a corpore Bibliorum, ad tertium & quartum Maccaeorum: siue ad orationem Manassae.

III. Secundo dico, verius esse intelligi editionem Septuaginta, quae omnium erat celeberrima. Et si non ignotum e variis versionibus Graecis alias alibi fuisse in precio, teste Hieronymi prologo, in Paralipomena. Sed maxime tam nota haec fuit: quia Theodotus, Aquila, Symmachus, oes haec seos erant suspecti: reliquae editiones erant obscuriores. Illis a. Septuaginta extimant. & Hier. lib. 3. aduersus Rufinum, Graeci post Septuaginta a translatore, Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinae sua, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant. Et si mihi in te adeo perspicua testes videri possint superflui.

IV. Huius autem editionis non esse has partes facile ostendimus. Nam de libro Ester, ita testatur Hieronymus in prologo, Librum Esther variis translatoribus constat esse vitiatum: quae ego de archiuis Hebraeorum reuelans, verbum e verbo expressis transuli. Quem librum editio vulgata, lacinosus hinc inde verborum sinibus (sic n. lego, non funibus) trahit, addens ea quae ex tempore dici poterant, & audiri: sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate, ex cogitare quibus verbis uti potuit, qui iniuria passus est, vel qui iniuriam fecit. De Daniele a. Sixtus Senensis disertissime, Supplementum libri Danielis in Hebraeo non habetur, sed ex Graeca Theodotionis editione ab Hieronymo transcriptum est.

V. At sane haec erat editio illa, quam communem appellabant, teste ipso Bellarmino, capite quinto libri secundi de Verbo Dei: Erat a. ab Origene facta confusus duabus, nempe Septuaginta & Theodotionis. Testatur Hieronymus Prologo in Pentateuch. Origenis me studium prouocauit, inquit: qui editione antiqua Theodotionis miscuit, asterisco & obelo opus omne distinguens, dum aut illucrescere facit quae minus ante fuerant, aut superflua quaeq; ingulat, & confodit.

VI. At Daniele nominatim idem testatur Hieronymus. legi ex editione Theodotionis: tum Apologia 2. aduersus Rufinum, In promptu sunt quatuor editiones, Aquila, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Ecclesia iuxta Theodotionem legitur Daniele. Tu fufius praefatione in Commentaria in Daniele, illud quoq; lectorem admoceo, Daniele non iuxta Septuaginta Interpretes, sed iuxta Theodotionem Ecclesiam legere: qui utique post aduentum Christi incredulus fuit: licet eum quidam dicant Hebraizantem, qui altero genere Iudaeus est. Sed & Origenes de Theodotionis opere in editione vulgata, asteriscos posuit: docens defuisse quae addita sunt: Et rursus quosdam versus obelis praenotauit, superflua quaeque designans. Cumq; omnes Christi Ecclesia, tam Graecorum quam Latinorum, Syrorumq; & Aegyptiorum, hanc sub asteriscis & obelis editionem legant: ignoscant inuidi lab. ri meo.

VII. Patet ergo argumenti falsitas: nam etsi vterentur Patres vulgata editione: non tamen sequitur eos probasse omnes eius particulas: alias obeliscis & asteriscis quid opus fuisset? In ea igitur probabant editionem Septuaginta Interpretum: non quascunq; aliorum additiones.

CAP. VII.

De partibus Danielis ex Origene.

I. Argumentum sextum est proprium partibus Danielis: ex Bellarmino, Origenes, inquit, studiose defendit has partes Danielis, & praecipue Susanna historiam, canonicam historiam esse contendit, tum homilia prima in Leuiticum, tum in Epistola ad Iulium Africanum.

II. Respondeo: primo non esse Origenis testimonium vniuersale omnium Ecclesiarum, sed particulare vnus hominis: & quidem non satis probati. Secundo hom. 1. in Leu. haec esse verba, Tempus est nos aduersus improbos presbyteros vni sanctae Susanna vocibus, quas illi quidem repudiantes historiam Susanna de Catalogo diuinorum voluminum rescierunt: nos autem & suscipimus & opportune contra ipsos proferimus, dicentes, Angustia sunt mihi vniuersae. At has in Leuiticum homilias non habemus nisi ex Rufini versione. Solebat a. Rufinus, ad suam sententiam satis licenter accommodare eos authores, quos Latinos faciebat: quod infinitis indicibus deprehendi potest: & notauit Erasmus in Censuris ad libros Origenis, Libertas, inquit, vel licentia potius addidi, adimendi, mutandi, Rufinum, clamant interpretem. Hanc licentiam facit ut usurpasse se in Leuiticum, in Epistolam ad Romanos, in historiam Ecclesiasticam. Quod porro opus ille tractauit vnquam, quod non ad istum modum comminaret? Quare non facile discernas quae sint Origenis, & hic locus eo magis suspectus est, quod Rufinus Hieronymo inuidiam concitare sit conatus ob huius ipsius historiae negotium: ut patet ex 2. Hieronymi Apologia. Constat autem Origenem probasse Canonem Hebraicum: ut suo loco sumus obseruari. Dixi vero alias diuina volumina appellari nonnunquam illa etiam quae non sunt exacte Canonica.



